

etiam animâ. Caro enim per se nihil cogitat. Et adfectus carnis in animâ sunt non in carne. Solus ergo homo, qui adfectibus ducitur caro est, quem hic animalem vocat. Deinde etiam, hunc esse verum hujus loci sensum, confirmant non tantum ea, quæ præcedunt, de quibus supra commentati fuimus, atque ea, quæ sequuntur; vocat enim eosdem cap. 3. *carnales*, quibus in sunt *livor*, & *contentio*, & *dissidia*, quæ in veros sapientes cadere non possunt: Sed etiam ea, quæ habet Jacobus, cap. 3. vers. 14, 15. & 17. Ubi, apparenti veram opponens sapientiam, ait: *Hanc esse supernè descendente[m], puram, pacificam, moderatam, obsequentem, plenam misericordiæ & fructuum bonorum, absque disceptatione, sine simulatione.* Illam verò terrenam, animalem, *dæmoniacam*, cujus effecta sunt *Invidia, irritatio, tumultuatio, & omne opus pravum.* Ubi notandum in Græcô occurrere vocabulum $\psiυχικὸς$, adeoque idem Epitheton, quod homini rerum spiritualium incapaci apposuit Paulus, Sapientiæ apparenti à Jacobô attribui. Denique etiam omnia hæc multò adhuc evaderent manifestiora, si prout res exigit, enuclearetur atque fusè ostenderetur, quid per ea; *quæ sunt spiritus Dei*, & per *spiritualem dijudicationem* significatum voluit Apostolus: Sed instituti nostri ratio, cui abundè satisfactum censemus, tam vastum mare ingredi non finit, cùm horum explicationi nimis diu jamjam immorati fuerimus, quod tamen non incongruum duximus, tum quòd hic res ex professô tractetur, tum quòd, ad horum exemplum, quilibet ex reliquis, quæ de hâc agunt materiâ, S. Scripturæ locis, se facillimò negotiò expedire poterit. Quocirca & nos eorum explicatione impræsentiarum super sedebimus.

5. Sed verò, antequam manum de tabulâ tollamus, enodandus adhuc breviter est locus, non enim operosam requirit interpretationem, ubi ipsum Philosophiæ vocabulum expressum reperitur, quem ideo tanquam majoris emphasis atque probationis, passim crepant, non quidem Theologi perspicaciores, sed ex plebe ecclesiasticâ illi, qui cùm reverâ nihil sciant solidi, sibi tamen mirè sapere videntur, & ubi de Philosophiâ mentio incidit, confestim & satis inconsideranter evomunt. Habetur autem in Epistolâ Pauli ad Colossenses, cap. 2. vers. 8. & sic sonat. *Videte ne quis sit, qui vos deprædetur per Philosophiam, & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Putant hîc Apostolum Colossenses hortari, ut sibi caveant à Philosophiâ; sed admodum crassè hallucinantur. Nam istâ voce non designari Rerum cognitionem, sed varias Judæorum sectas multi gravissimi existimant Theologi. Egregiè inter alios id explicat atque docet Dannhæwærus in suâ ideâ boni interpret. & malit. calumniator. parte 1. sect. 3. art. 7. vers. 79. cujus locum integrum propterea hîc adscribere libet. *Quæstio est, inquit, quis sit sensus vocis Philo-*

loso-